

derasse dicitur audire Paulum & Barnabam.
Act. 13.7. qui etiam postea, cum Paulus confun-
deret Elymam Magum, ad fidem Christi perdu-
ctus ac conversus fuit. vers. 12. &c

53. Neque verò hoc pacto vel Pontificiorum
delirium de merito congrui stabilitur: vel
Synergistarum errori quicquam præsidij qua-
ritur.

54. Neque enim Pontificiorum more, congruum
esse arbitramur ut Deus facientibus quod in se
est, gratiam suam conferat: vel ullum ullâ ratio-
ne meritum statuimus: sed loquimur de medio si-
ve organo divinitus instituto: quod est verbum
prædicatum & auditum, per quod Deus fidem in
hominibus operari decrevit.

55. Pariratione omnis οὐνεργείας opinio
expirat, quando attenditur, qua de re hoc loco sit
disputatio. Non autem disceptatur aut quæri-
tur: Quid hominis nondum renati intel-
lectus & voluntas in ipsa conversione ex
proprijs viribus præstare possit. Hic enim
nihil, nihil prorsus, vel ex toto, vel ex dimidia, aut
ulla, vel minima etiam parte libero arbitrio: sed
in solidum, id est, simpliciter soli divinæ operatio-
ni, & SPIRITV SANCTO, conversio, fides, rege-
neratio, & Omnia, quæ ad illam efficaciter &
inchoandam & absolvendam pertinent, adscri-
bitur. Vbi certè omnis omnino synergismus tolli-
tur.

Sed